

Castus amor legum movet in nos praelia regum,
 Regibus iratis, confidate, ne timeatis ;
 Fortis bellator Deus vobis auxiliator.
 Gens mea, ne spernas ritus legesque paternas,
 Sæcula perlustra ; tunc cognosces quia frustra
 Nemo Deum credit, nec ab ejus lege recedit.
 Abraham tentatus fuit, et tentando probatus :
 Joseph mendicus, patiens tamen atque quietus,
 Peccatum sprexit, sed ob hoc sua gloria crevit.
 De Phinees nostis, quia luxuriæ fuit hostis,
 Quo confirmatus fuerit sibi pontificatus.
 Jesus confortans populum, requiemque reportans,
 Plus aliis vixit, solemque sua prece sinit.
 Dum bene confidit, fieri Caleb omnia vidit.
 Eliæ pietas falsos perimendo prophetas,
 Dum zelat velum, meruit conscendere cælum.
 Quis Deus est vester Deus approbat ; indicat Esther
 In libris, veterum vivit pietas mulierum.
 His informati, mea dulcia pignora, nati,
 Aspera quæque pati sitis pro lege parati,
 Consiliique boni primatum do Simeoni,
 Delectusque meus fera bella gerat Machabæus.
 Dispositis rebus, consummatisque diebus,
 Vir justus moritur, juxtaque patrem sepelitur.
 Cum planctu magno legum custode sepulto,

A Judas surrexit, qui plebem pro patrè rexit,
 Religione sacer, qui bello claruit acer :
 Corpore robustus, vultusque decore venustus,
 Mortis contemptor, generis patriæque redemptor,
 Quidedit, ut legimus, spem posse resurgere primus.
 Armis bellantum succinctus more gigantum,
 Sumpsit loricam, gentemque minax inimicam
 Stravit, submersit, patriæque suæ probra tersit.
 Cujus vita brevis, sed strenua, sed sine nævis,
 Nomen in æternum transvexit ad astra paternum.
 Hujus conatus ut Apollonius aceleratus
 Primum cognovit, in eum tentoria movit,
 Judam cum gente sperans delere repente.
 Judas præscivit, gentem parat, obvius ivit,
 Pugnaque conseritur ; gladiis hinc inde feritur :
 B Vicit vero Deus, milesque Dei Machabæus.
 Cæsa malignorum pars maxima, dux et eorum,
 Quem Judas stravit, gladioque suo spoliavit,
 Ac in eo princeps cœpit pugnare deinceps,
 Duxque Seron tristis judex successibus istis,
 Finitimis cunctis prece vel pretio sibi junctis,
 Morte ducis clari properabat glorificari ;
 Cumque propinquasset Bethoron, et castra locasset,
 Surgit in occursum Judas, et gens sua sursum.

1343 INCIPIUNT VERSUS DE S. VINCENTIO.

(E. ms. codice monasterii S. Mariani Antiasiodorensis ord. Præmonstratensis, ann. circiter quingentorum.)

Quam nimis insanus præses fuerit Dacianus,
 Ex scelerum gestis illius scire potestis.
 Hic apud Hispanos ritus recolendo profanos
 Jusserat inquire si forte queant reperiri
 Qui Christum credant, nec ab hoc errore recedant.
 Hos graviter plecti præceperat ac (f. aut) cito flecti.
 Lex quæ celatur nihil est, valet ut videatur
 Utque magis præsit communis, et in medio sit.
 Lumen erat mundi Vincentius : iste recondi
 Turpe nefasque putat, ideoque latere refutat.
 Sic voluit dici Deus, utpote nomen amicit.
 Nam vere vicit sicut passio sua dicit,
 Cum satis attritam solvit sine sanguine vitam,
 A lecto molli meruit super æthera tolli.
 Notitiam Christi dederat Valerius isti,
 Quo doctore bono, duce, præsule, patre, patrono
 Vincendum didicit mundum quem postea vicit.
 Doctrina clarus, sapiens, et ob hoc sibi carus,
 Accepta cura super ecclesiastica jura
 Pro sene supplebat quod de sene deficiebat.
 Cæsaris Augusta, quæ religione vetusta
 Propter factorem retinet factoris honorem,

C Tantis tamque bonis floret munita patronis.
 His igitur tentis, sicut jubet ira furentis,
 Et pater et juvenis properant occurrere pœnis.
 Illis oblatis ait arbiter impietatis :
 Ergo vos estis per quos venit hæc nova pestis,
 Et scelerum morbis errans confunditur orbis ?
 Inde suis fatur : Properanter uterque trahatur,
 Hosque catena liget gravis, et via longa fatiget,
 Et scelus hoc ausos Valentia carcere clausos
 Conservet nobis ; servata quod impero vobis ;
 Quos fortasse mori pœna metuens leviori,
 Mole catenarum, nimioque labore viarum
 Ne consummentur, nisi primo diu crucientur.
 Concitus ascendit, et eo cum milite tendit.
 Hujus ad adventum rabies insana furentum
 Se gaudens profert, et eos uti jusserat offert.
 Ut videt hos, inquit : Qui numina nostra relin-
 quit,
 Occisumque colit, vides quia vivere nolit :
 Sic certi sitis, nisi sacrificare velitis,
 Vos debere mori necesse qua potero graviori ;
 Sed dum sic estis, quod adhuc licet atque potestis,

Auctoris vitæ Jovis ad simulacra venite.

Tunc pius antiates : Tu respondendo resistes.
 Vincenti filii, virtute vigens juvenili,
 Summus inest ardor fidei, sed voce retardor,
 Carneque confecta, carni dominante senecta.
 Tu cui tantorum est data cura ministeriorum ;
 Qui potes et nosti, dic quid fieri licet hosti.
 Tunc gaudens prorsus sic est Vincentius orans :
 Nos servos Christi violare fidem monuisti,
 Et micæ thuris vestris adolere figuris ;
 Sed nimis in vanum, quoniam liquet esse profanum
 In statuis mutis munus sperare salutis :
 Præpono saxi quem cœli non capit axis.
 Dic, iudex, inquam, dic qua ratione relinquam,
 Qua ratione negem qui regnat in æthere Regem,
 Et sequar errorem, lapidesque precer vel adorem.
 ¶ Quolibet ista mone, quia nos pro religione
 Ad tua jussa pati volumusque sumusque parati.

Tunc iudex tristis : Contemnimur, inquit, ab istis.
 Nil agimus verbis, gravibus pœnis et acerbis
 Debent torqueri ; nolunt nisi fuste moveri.
 Hic miser annuus, sermone superstitiosus
 Exsul, decrepita ferat infortunia vitæ.
 Discipulusque senis aptabitur amodo pœnis ;
 Et stimulis iræ jubet hunc tormenta subire.
 Primo suspensus, per membraque singula tensus,
 Dum torqueretur, graviterque satis pateretur
 Clamabat : O tortor ! torque crudelius, hortor ;
 Quid cessas ? Quid agis ? restat locus et caro ptagis.
 Quæso, ne cesses ; utinam nunc fortior esses !
 Acrius ergo feri, ne forte velis misereri.
 Præses pallescit ; quid agat mens anxia nescit.
 Victum torquentem vicisse stupet patientem,
 Carnificumque manus languere videt Dacianus.
 Inquit : Ubi vires animi, dextræque viriles ?
 Quis tuus hic languor ? Doleo vehementer et angor
 Quod miser iste videt quod vincimur, indeque ridet.
 Sed modo respira, dum sit tua fortior ira.
 Differ, et exspecta, donec virtute resecta,
 Quæ per verba rogas, fieri per verbera cogas.
 Ut peragat cursum surgunt ad verbera rursus,
 Et fractis costis, in viscera convolat hostis.
 Spiritus invictus, qui non tamen hos timet ictus,
 Perstat in athleta securus, mensque quieta.
 Artificemque mali tunc increpat ordine tali :
 Confusum plane jam te video, Daciane,
 Nam modo sublimis quid agas contemptor in imis,
 Stansque super mundum mundi contemno profun-

[dum.

Quilibet exerce, quævis faciendo coerces ;
 Te, qui torquebis, modo me plus posse videbis.

Talibus insanus respondet ei Dacianus ;
 Fatur ad hæc rursus dux infrendens velut ursus :
 Desine, Vincenti, sic respondere potenti ;
 Contra torrentem validum nec dirige mentem ;
 Solved ab his curis cito me Romana securis.
 Obviat offensis, et punit eos meus easis.
 Sed tibi providi, leviterque monendo cecidi.
 Parco juventuti nolens gravioribus uti ;

A Dum elementer ago Jovis attollatur imago,
 Facque Jovi magno votum, vel thure vel agno.
 Quod si parcentis das verba salubria ventis,
 Hæstat ut absque mora fiant tibi deteriora.

Martyr ad hæc fatur : Frustra toties replicatur
 Ut tormentorum, Daciane, timore tuorum
 Propositum mitem contra fas atque salutem.
 Fortis agonista nunquam fuit exitus iste ;
 Sicut enim vixi, vel me tibi vivere dixi,
 Sic exspecto mori, nulli cedendo dolori ;
 Nam pro morte bona mihi restat [habenda] honesta

[corona,

Quæ vestram laurum præcellit, et est super aurum,
 Quam modo contemnis ; tibi vero pœna pereennis
 Hæsit ad ista parum meditans dux nequitiarum.

B In partes mille quid agat dum discutit ille,
 ¶ Elegit demum quasi fortius atque supremum,
 Impositum laminis vivum comburere flammis.

Ut peragat cursum, fit ferrea machina rursus
 Serratis costis, sicut dictaverat hostis,
 Accumulantque faces subtus, flammæque voraces :
 Et jussum solvi iudex jubet hunc ibi volvi,
 Sed prius affligit sale quem per vulnera figit.
 Hunc ita tractatum legimus, patre consule, natum :
 Nec flos ætatis, nec gloria nobilitatis
 In laqueos scelerum tulit hunc, nec copia rerum.
 Carnem compescens sapienter, adhuc adolescens,
 Mundum devovit ; cor ab hoc oculosque removit :
 Præponensque sequi doctrinam totius æqui,
 Et nudus fieri, ne posset ab hoste teneri.

C Inter conflictus carnis rejecit amictus,
 Evasisque manus hostis, sine sindone sanus
 Evasis pestem, sed servat adultera vestem
 Deliciosa caro, licet edita sit patre claro
 Maluit ista pati, quam vanæ prosperitati
 Corpore submisso pateretur in ignis abysso.
 Ecce modo torrent homines hominem, nec abhorrent,
 Flamma cruenta furit, caro stridet, sal crepat urit,
 Et tamen immotus manet, et super æthera totus,
 Quoque valet nisu cœlis inhians prece, visu
 Ostendit gestu, quorum mens æstuet æstu,
 Atque Deo grates super has agit anxietates.
 Interea, quid erit, iudex de martyre, querit
 Quem referunt sanum redeuntes ad Dacianum.
 Insuper et tantæ virtutis adhuc velut ante,
 Quod nec adhuc cesset, sed adhuc magis improbus

[esset,

Obstupet et dicit : Magus est qui talia vidit,
 Sed superanda mago restat membroso vorago,
 Tartareusque lacus, carcer fostens et opacus,
 Qui lucem nescit, nec ibi sine nocte diescit :
 Vermis edax intus, meus hic alter labyrinthus
 Hic mihi servetur, qui jam melius moreretur.
 Vivat, et in nullo quidquam sibi subveniatur :
 Sit cibus et potus, sit homo procul atque remotus ;
 Vivere sic, mortis genus est grave : sit modo fortis.
 Semper in hoc vellem nostrum durare rebellem ;
 Nam viventis ita, nihil est nisi mors sua vita.
 Insolitas testas supperaddat iniqua potestas,

Quarum fragmentis doleat caro læsa jacentis,
Mutantique latus foret undique mucro paratus.

Jussus ibi claudi, quid cernat et audiat audi.
Hic locus invisus sit continuo paradæus,
Luceque cœlesti lucent aditus inhonesti,
Angelicus cœtus, locus est candore repletus :
Obsequio quorum, fugiente dolore malorum,
Audit ab angelici cœtus modulamine dici :
Perspice, Vincenti, cujus virtute potenti
His in tormentis data sit constantia mentis :
Qui tibi virtutem dedit, in pœnisque salutem,
Palmam victori spondet, sinemque labori :
Esto securus, noster comes ecce futurus.
Prosilit ad tantum custodia territa cantum ;
Mente sed incerta ne porta fuisset aperta,
Citius implorant, visoque quid esset adorant.
Fit locus horroris fidei domus, aula decoris.
Conveniunt turbæ, totaque fideliter urbe.
Quos diffundit amor, laudum ferit æthera clamor,
Irrumpuntque fores ; sed qui veniunt propiores
Gaudent cum lacrymis oculos insigere rimis ;
Quos attendentes propiusque videre volentes
Taliter affatur sanctus : Deus hæc operatur.
Quis fuerat pœnæ locus, est modo sedis amœnæ.
Pro fetore gravi satiamur odore suavi.
Hic vernant violæ ; lux clarior est mea sole.
Curia cœlestis, sicut modo scire potestis,
1246 Illic manet hic habitat, mihi servit, et hæc loca
[ditat.
Hæc igitur mando de me referenda nefando [tyranno].
Nunc commentetur, vigilet modo ne superetur ;
Quo magis ardescet, mea laus et gloria crescet.
Ut nihil inde cadat ; si quid valet aut habet, addat.
Jussio sit statim, narratur ei seriatim
Lux ibi quanta micat, vel quæ martyr sibi dicat.
Inquit ad hoc dictum iudex : Scio me modo victum ;
Attamen ad lectum referat, ur, ibique reffectum
Subdemus pœnæ post dona quietis amœnæ,
Reddita paucillum requies mihi molliat illum,
Utque dolor crescat caro recrucianda quiescat.
Quid mens cæca furis fallacibus anxia curis ?
Quid tractas tecum cor ab omni lumine cæcum ?
Quid male suspiras ? Quis in has furor impulit iras ?
Aspera promittis ; Deus autem mitia mitis.
Tu lacerum funus ; sed non ita trinus et unus.
Namque quiete data resolutus morte beata
Tollitur ad superos noster celeberrimus heros.
Sic athleta Dei datus a requie requiei
A lecto molli meruit super æthera tolli.
His divulgatis, studio nimis pietatis
Menteque devota ruit illic patria tota.
Dulces effectus, quod non moveant grave pectus ?
Vel mentem cujus non slectat amor gregis hujus ?
Hic venit ut plangat ; juvat hunc ut vulnera tangat.
His astans plorat ; procul hic male conscius orat.
Illius instantis dat amor pius oscula plantis.
Illic de veste parum rapit in spem reliquiarum,
Quod pro thesauro servandum ducit in auro ;
Quod cruor infectis, pia cura sacrum sibi fecit.

[A] Judicis horrorem super his, nimiumque dolorem
Quis nunc exponet verbis ? Quæ prospera donet ?
Inlucet aura gravis ; fuge, ne pereas, mea navis ;
Littora nota tene, ne, si laxentur habenæ,
Prævaleant undæ graviores atque profundæ.
Alnus parva minus tolerat, quam ferrea pinus.
Qui nequeo ferre, fluctus maris, hæreo terræ.
Terra vicina currat mea parva carina ;
Ut non delinquam gravius, graviora relinquam.
Dicam quid restat, portus prope spem mihi præstat.

Jam quid agat nescit, nec adhuc iudex requiescit.
Horridus, exsanguis, quasi fractis dentibus anguis
Huc illucque furit miser, utpote quem furor urit
Everso vultu replet atria tota tumultu,
Horrendumque fremens resonabat talia demens :
B Me miserum ! quid agam, quis fecit quam gero pla-
[gam ?

Donandumque neci potuque ciboque refeci ;
Insuper adjei, lectoque quiescere feci ;
Estque meum munus quod habet laudabile funus.
Quæ fuit hæc mea mens ? Miser o ego stultus et amens,
Quid decet ignoro ! qui quod lex damnat honoro.
Quodque meæ legi nunquam conceditur egi.
Qua potero fronte defunctum cernere sponte ?
Omnem sacrilegum damnat moderatio legum.
Qui legem novi, contra legem male fovi.
Sed quia mente bona sibi non sunt hæc data dona,
Et contra votum quia contigit hoc mihi totum,
Restat ut ostendam quo propitio Jove tendam.
Esset inhumanum corpus sepelire profanum.
Ergo sit esca canum, qui lætificent Dacianum.
C Terris exclusum rapiat fera ventris ad usum.
Lege licet nostra corvos ibi figere rostra ;
Rores nocturnos ferat, ardoresque diurnos !
Carneque corrupta, rapiat fera viscera rupta.
Durus odor prodit miserum, quem bestia rodat,
Et lupus attentus, quid promittat sibi ventus
1247 Dirigat hic cursus, laceret leo, dissipet ursus.
Quidlibet ergo licet, quia nil caro mortuus dicet,
In quamvis partem cedem quæ perdidit artem.

Quid miser insanis ? Furor hic fallax et inanis.
Quid male disponis, mala mens, experta rationis ?
Ut quid posse feras quod non potes improbe speras.
Imperat hic stellis cui tu vis esse rebellis.
Hic ea quæ desunt vocat atque videt quasi quæ sunt.
Imperat iste foris quem tu modo non revereris.

D Factor factura Deus utitur ad sua jura.
Vertit in omne bonum rablemque famemque leonum,
Corvus servorum servus solet esse suorum.
Quod ratione caret sibi subditur et sibi paret ;
Tu tamen obsistis, ratio quem prætulit istis.
Cum quo bella gerit, servos ejus sibi quærit
Frustra servire furor immoderabilis iræ ;
Nam divina manus quodcunque perat Dacianus,
Et quodcunque putat se facturum, cito mutat.
Expositosque foris titulo cumulabat honoris.
Qui nocuit mundo corvus lavat ecce secundo,
Qui juvit justos dapifer prius et modo custos.
Juxta namque sedens avis ista, nec inde recedens

Pro custode datur, servit, timet et veneratur,
Atque super sanctum dolet, atque fecit quasi plan-
[ctum,

Terribilesque feræ fragilem corvum timuere.

Terret eos alis, custodia spiritualis.

Hunc lupus immanis, quem venter agebat inanis,

Ut caput aspexit, procul ejus in ora reflexit,

Et caput in morem curvans facientis honorem,

Extra naturam, gessit pro corpore curam.

1248 Sed nequit ista pati mens perfida, mens sce-
[lerati,

Nec favet huic parti, sed totum deputat arti ;

Et quoniam terræ pugnam nequit amodo ferre,

Bella parabat aquæ, pugna superandus utraque.

Claruerant signis tellus, aer, furor ignis ;

Hic liquor est quartus, qui restat ut abluat artus. B

Debet confundi per singula corpora mundi,

Ut contra stultum nil deserat orbis inultum.

Pressum mole gravi, jubet hunc imponere navi

Exanimisque viri corpus pelago sepeliri,

Ut quis corvina rabies nequit atque ferina,

A Plus ope divina possunt vel monstra marina.

Sed non procedit, nec enim sibi pontus obedit,

Et pelago mersus, prior est citiusque reversus

Navi, quam ventus juvat, impellitque juvenis :

Quod potuisse virum post mortem non puto mirum,

Cum si cœlica vis sit ventus, navita navis.

Expletumque scelus, properabat iniqua phaselus

Allabens terræ quasi gaudia magna referre.

Insultat lictor, sed martyr et hic quoque victor,

Quem putat absorptum, jam præscierat sibi portum.

Femina, res fragilis, fidei solet esse virilis.

Rusticus admonitus per somnum poscere littus,

Et vili fossa tumulo dare martyris ossa,

Dum timet et dubitat, fideique negotia vitat,

Dum timet indignus venerabile tollere pignus,

B Martyr matronæ pollenti religione

Adsat, apparet, quid agat docet, illaque paret.

Quod vir non audet, pia femina quærere gaudet :

Noctes sub obscura vigili venit ad mare cura,

Quærit et inventum rapit, et dat ei monumentum,

INCIPIT

PASSIO SANCTÆ AGNETIS

VIRGINIS ET MARTYRIS.

(Ex præfato manuscripto Sancti Mariani Antissiodorensis).

BREVE MONITUM.

Invenitur typis edita Francofurti an. 1624, typis scilicet Wechelians apud Danielem et Davidem Ancrios et Clementem Schleichium. Idque in libro trigesimo adversariorum commentariorum Gaspari Barthii fol. 1448, sed prolixius eo quod exstat in manuscripto Sancti Mariani Antissiodorensis, cui ex undecim capitibus, in quæ in Barthiano dividitur, desunt fere duo ultima capita quæ huic Sam Mariano subjuximus. Porro Barthius hoc poema accepisse se monet ab Heriberto Rosweydo S. J. presbytero eruditissimo, qui illius auctorem esse asserebat Hildebertum Cenomansensem episcopum, quod ex hoc manuscripto Sancti Mariani confirmari merito potest. Quominus igitur hoc poema tribuatur Hildeberto non debet obstare quod Operibus Philippi Bonæ-Spei abbatis editis Duaci an. 1630 sub finem attextatur, cum ibidem plura alia carmina inserta fuerint, quæ ad fidem multorum optimæ notæ manuscriptorum indubitanter sunt Hildeberti, cui specialiter in pluribus optimæ notæ mss. tribuitur.

1249 CAPUT PRIMUM (79).

Agnes sacra sui pennam scriptoris inaret,
Linguam nactareo compluat imbre meam.

18 Cujus martyrium metricis depingere tento

(79) In editione Barthii hoc poema dividitur in duodecim capita.— Varias lectiones Barthianæ edi-

18-79 Ejus.

C Floribus, ut docebat passio sacra fidem.
Floruit urbe Romæ præmissæ virginis ortu,
Et velut hoc speculo tota refulsit humus.
Orta puella novo respersit lumine Romam,

tionis ab hac nostra e Marianensi codice desumpta, hic notandas duximus.